Coll. Rom. Societ. Jesu
34-7-B-24
34-7-B

EXAGONA RADIATIO

EX

Innati, & ſuperi luminis præſentia exorta, ad noſtræ mentis tenebras expellendas Idonea.

REVERENDISSIMO D.

D. ALFONSO BOVOSIO BONON.

Congregationis S. Saluatoris Generali meritiſsimo, necnon doctrina, & moribus ornatiſsimo.

A D. CAROLO CARRARIO FANENSE eiuſdem familiæ Canonico dicata.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, Apud Variſcos. 1621.

Superiorum permiſſu.

Reuerendiſſimo D.

D. ALPHONSO
BOVOSIO

Congreg. Canon. Regul. S. Saluatoris Priori Generali meritiſſimo.

D. CAROLVS CARRARIVS Fanenſis S. P. D.

SENSVS inter externos, qui homini a D.O.M. condonati ſunt, per neceſſarius in primis, tùm iucundus eſt ſenſus viſus, et qui eo, vel ab ortu, vel aliquo alio caſu priuantur non iniuria cùm Tobia condo-

lentes, eheu acclamant, quale gaudium eſt mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli videre nequeo. Attamen is ipſe ſenſus à natura alicui acutiſsimus etiã impertitus; mutilatam habet, & deffinitam virtutem; ità vt non niſi in viciniora, & certo locorum interuallo conſtituta feratur; vel ſi in remotiora quandoque, etiam ad Cælum ipſum et Aſtra vſque, ſubobſcuro tamen, & caliginoso modo videndi, proinde ſine ea iucunditate, qua in vicinioribus conſpiciendis afficitur. Veneranda hinc Antiquitas vigilantiſsima ſemper, & induſtrioſiſsima in nouis indagandis medijs, & modis, quibus, quæ ſunt natura comparata, perficeret; perpendens diu, quomodò truncatum hunc, et mutilatum oculorum proſpectum adaugeret, & accreſceret, mathematicarũ diſciplinarum auxilio excogitauit tandem, & fabre-

fecit

fecit inſtrumenta quædam, longo anno-rum tractu obliuioni tradita, ſed moder-nis hiſce temporibus à Galilæo quodam innouata, Conſpicilla nuncupata, quo-rum ope, quæ ſunt loco diſtantiſſima, vi-ciniora, & quaſi finitima oculis noſtris exhibentur ita, vt clarè, & diſtinctè, non ſine maxima vtilitate, & iucun-ditate conſpiciantur. Sed quod oculis corporeis in actu videndi longinqua, illud & idem oculis intellectus in con-templatione altiſſimarum quæſtionum, quæ in ſcientijs perueſtigantur, con-tingit, ità vt niſi, & ipſe intellectus conſpicillo quopiam coadiuuetur, quaſi noctua, cæcutire potiùs, quàm intelli-gere videatur. Ipſe ego expertus lo-quor, qui vbi primùm ſtudijs humanæ, diuinæq; philoſophiæ animum applicui, ad eminentiſſimas quæſtiones, et à ſenſi-bus, à quibus tamen omnis noſtra cogni-

*tio ortum ducit, remotiſsimas, imbecilli-
tatem intellectus mei, minime ſe attolle-
re poſſe videbam. Quapropter Anti-
quorum conſilio monitus, Conſpicillo mi
hi opus eſſe cognoui. Conſpicillum igitur
mihi accommodatiſsimum, et limpidiſsi
mum fuit Admod. R. D. LAVRVS
BILIOTTVS Præceptor meus, ex
cuius Licæo, & Academia, tanquàm
ex Equo Troiano ſicuti multi mei con-
diſcipuli exierũt eruditiſsimi, vti teſtan
tur ſubtiliſsimæ eorũ de quibuſuis ſcien-
tijs, quæſtiones, publicis litterarijs con-
greſsibus, propoſitæ; ità & ego licet mini-
mus eius diſciplina, & doctrina [illegible]i-
[illegible]tus, EXAGONAM hanc RA-
DIATIONEM concepi; cõceptamq.
dùm in lucem emittere contendo, ex ſup
petit illud aſtronomicum naſcentis for-
tunam maxime à beneuolis, & bene
conſtitutis ſtellis dependere. Quibus
igitur*

igitur ſub aſtris partum hunc meum ederem dùm cogito, et vndequaque circunſpicio; Ecce in Inſignibus tuis Reuerendiſſ. Præſul bis terræ occurſant ſtellæ collucentes quidem, conſignificatrices tamen, & indicatrices aliarum ſex ſtellarum in nobiliſſimo animo tuo ſcintillantium; Inuiolatæ ſcilicet Iuſtitia, puriſſimæ Religionis, ſpectatæ Integritatis, egregiæ Pietatis, exquiſitæ doctrinæ, circunſpectæ prudentiæ, quibus omnibus tibi ipſi primo, deinde alijs, in regimine huius noſtræ Reipubl. affulges, ſplendes, & irradias: ſub hoc igitur duplicato ſenario numero ſtellarum, tanquam ſub aſpectu peroptimo, parturire volui, tuoque ſuauiſſimo nomini inſcribere, dedicare, & cõſecrare hanc meam Exagonam Radiationem exiguã quidem prolem, neque Magnitudini tuæ æqualem, magnam tamen voluntatis

mea erga te ſignificationem, & teſtimonium.

Et certè non alio quàm tibi committi debebat, tamquam viro omnium irradiatiſsimo cuius iudicio probata, & patrocinio tuta in publicum omnibus grata prodiret, & à quo lumen lucem, & ſplendorem, quibus fortaſſe per ſe caret, perciperet. Accipe igitur eam Reuerendiſsime Præſul fronte ſerena, & radijs tuæ humanitatis eam, eiuſq; auctorem illuſtra, & illumina; ſic enim fiet vt nullus eam dente canino denigrare pertentet; & me ad vberiora animabis. Interim Me, meumq; Præceptorem multis ab hinc annis tibi Addictiſſimum tuere, foue, & ſub radijs tuæ benignitatis, et Protectionis accubare inſimul permitte. Vale.

In Reuerendiſſimum D.
D. ALPHONSVM
BOVOSIVM, &c.

SALVE magne parens Cœli, qui inſignia geſtas
Qui claram toto fundis in orbe facem.
Tu decus es Patriæ, tu gloria ſumma parentum
Ordinis, & noſtri ſplendor vbique nouus;
Quin etiam ignotas ſplendor penetrauit ad oras,
Et nouus effulſit Sole ſtupente nitor;
At maior tu Sole: nitet tua lampas in æuum,
Sol habet occaſus tempus in omne ſuos.

Aliud ad Eundem.

AOnidum ſacris aſpergiſe fontibus ora
Verſibus hanc vates concelebrate diem.
Qua mihi conceſſum tantum celebrare Patronum
Corporis, atque animi dotibus eximium;
Namque gerit ſanctos mortali in corpore mores
Si faciem, & geſtum, doctaque verba notes.
Fulget in immenſa ſapientiæ luce, virumque
Omnibus ornatum dotibus eſſe refert.
Lumen Apollo neget Stellis, diffundere in orbe.
En nouus hic Stellis lumen Apollo feret.

EXA-

EXAGONA RADIATIO,

EX

Innati, & ſuperi Luminis præſentia orta ad humanæ mentis tenebras expellendas Idonea.

PROEMIVM

In quo inſtitutum illiuſque ratio habetur.

MIRVM quidem eſt, cum nihil à Deo terrarum in Orbe homine ſit conſtitutum preſtantius, ſublimius; & perfectius, altera ex parte nil ignobilius, miſerius, & imperfectius appareat, ſtatim, vt in hac lucem prodit: præſtantiam illius, & excellentiam ſuper omnia in

his inferioribus procreata, demonſtrabat Cidonius Orator Celeberrimus in quadam Oratione dum fabricam illius admirabilem contemplans, Hominem diuiniſſimum animal, & diuturnum maximè appellabat, cui vltra ſenſum, rationem tribuit, per quam à reliquis gregalibus diſtinxit, & per quam ſolum Homo inter animalia Deum, & agnoſcit, & colit, Phanaque illi conſecrat, & vota facit, & ab eo tum ſibi, tum alijs bona petit; & ſolus eorum, qui terram incolunt, veritatem noſcit, & in eius acquiſitione occupatus eſt, & virtutes exercet, & leges ſanxit, Republicam inſtituit, benefactorum præmia conſtituit, & malefactis certum penæ modum præfiniuit, artes inuenit non tam ad neceſſitatem, quam ad ornatum elaboratas, eaſque in commune contulit, in omnibus ad exemplar diuinum reſpiciens, ad quod & fabricatus eſt, & ad quod ſua omnia componit; Quare meritò ab alijs Mundi miraculum, Deus terreſtris vocatus eſt, & cum ſit ad immaginem Dei factus concinabat alter, Exemplumq. Dei quiſque eſt in immagine parua. At quorſum iſthæc? ſi eiuſmet hominis fabricam Trimegiſtus intuens eum animal imperfectum membris imperfectis conſtantem, ex multis diuerſiſque Corporibus conſtitutum Corpus gerentem vocitabat? Et Ariſtotel. apud Stobeum illius miſeriam admirans dicebat, Hominem eſſe imbecillitatis exemplum, Temporis ſpolium, fortunæ ludum, inconſtantiæ immaginem, inuidiæ, & calamitatis

tis

tis trutinam, reliquum totum pituitam, & bilem; & Homerus breuibus concluſit dum cecinit.

Non homine eſt animal certè infelicius vllum, quod tellure ſuperſpiret, & in ambulet ipſa, Sed ſapientiſſimorum Virorum dicta facilè conciliari & abſque lite de eodem Encomia, necnon vitia enunciari poſſe crederemus ſi hominis primum in Mundi Theatro ingreſſum in ſpiciamus; & mox eiuſdem per ætates progreſſum, & vitam contemplemur; in ingreſſu quidem miſeriæ, & calamitates ei conueniunt, at in vitæ curſu (ſi velit) omnium optimus, & feliciſſimus euadet, vndè Encomijs iurè celebrari poſſit. Sed vndè in primo limine homini miſeria occurrat explicandum eſt. Platonis dogma fuit, animam rationis participem rerum omnium rationibus decoratam fuiſſe in ſui prima conſtitutione, quo pacto omnium ſcientias, & rerum formas actu includeret, at corpori cum iungebatur, ex tali connexione ſopita, quaſi ebria, ſuique met oblita in ignorantiæ caligines labebatur, a quibus, vt purgaretur, dum à ſenſibilibus mouebatur initia ſcientiarum in ſe conſeruata per mutuas interrogationes, & reſponſiones, excitabantur, quo pacto inſitæ veritatis cognitionis, & oblitorum reminiſcebatur; quare frequenter in Menone, & alibi, ſcientiam eſſe reminiſcentiam, oſtendebat, hac præcipuè ſuffultus ratione; quia conſpiciebat à primo opifice perfectiſſimo nil niſi perfectum effluere quo circa, cum animæ perfectio

ſcientia exiſtat; adeò vt ſeorſum ab ea nec quidem iurè anima dici mereatur, omnibus ſcientijs plenam à Deo emanaſſe, fatebatur, & nil aliud ſcire noſtrum dicebat, niſi quodam reminiſci earum rationum, ideis reſpondentium ex Corporis nexu ſopitarum, & oblitarum. Sed quantum à veritate ſit alienum tale dogma cum Peripateticis nobis luce clarius eſt; Et ſi enim quod eſt intellectus humanus ignorantiæ velo, & tamquã nebula circunfuſus, adeò vt mentis acie penitus deſtitutus appareat, & conſequenter in maxima miſeria collocatus; attamen omnibus intelligibilibus formis debere eſſe denodatum cum poteſtate verò, vt omnia fieri valeat; tabellæque, inſcriptioni quidem aptæ, nullo tamen caractere, vel figura inſignitę, ſimilem, exiſtimandum eſt; quod enim apprimè aptum, natumque eſt aliquid recipere, eo debet eſſe denudatum; quod eſt in potentia, forma recipienda debet eſſe priuatum; quod ad oppoſita indifferens eſt ad nullam partem debet eſſe contractum, nullique deſtinatum: humanus intellectus antè ſcientiarum adeptionem eſt capax; eſt in potentia, eſt indifferens ad verum & falſum; & modò in vno modo in altero verſatur; non itaque incertum habet ſcientiam, & veritatem, ſed ex integro in nobis paritur, iuxta illud acclamatum omnis doctrina, & omnis diſciplina ex præexiſtenti fit cognitione. Nec officit, quod a Platone aſſeritur à perfectionis fonte non niſi perfectum effluere; cum ſufficiat, vt à Deo Homo

habeat actum primum,& facultates,quibus proprio ſtudio, & labore operationes promere ſuaſque perfectiones comparare, poſſit. Ignorantia itaque humanæ mentis coeua eſt illa thebanorũ sfinx, à qua eius enigmata, qui non ſoluebant, deuorabantur, hæc eſt fera, hæc monſtrum, hæc laberyntum à quibus, vt euadat Homo debet eſſe valde ſollicitus, ne in miſeria natus, miſerrimus viuat. Vt igitur ex tenebris valeat in lucem animus humanus errumpere ſciſſo ignorantiæ velo, debet pro facultate ad ſydera oculos eleuare, lumenq; inde exhaurire, vnde purgetur à tenebris, & ex miſerrimo,& inſipientiſſimo fæliciſſimus,& ſapientiſſimus reddatur; ſic namque cecinit Manilius lib.4. Aſtronom.

Erectus Capitis victorque ad ſydera tollit,
Sydereos oculos, propiuſq. aſpectat olympum,
Inquiritque Iouem, nec ſola fronte Deorum.
Contentus manet, & Cælum ſcrutatur in altũ,
Cognatumq. ſequens Corpus, ſe condit in aſtris.

Sed quod Cælum? quæ aſtra? vt indè lux exhauriatur. Duplex Cœlum occurſat; naturæ quidem vnde inſitum lumen habemus, fidei alterum, vnde reuelationis lux clariſſima difunditur; per illud in naturæ campo vagando, quam plurimas illuſtrationes phyſicarum propoſitionum habebimus, per iſtud ſacras pagines luſtrando ſacram doctrinam de Deo diſputantem proſequemur; priore duce ſequemur effectus ſenſibiles, atq; per illos in cauſarum cognitionem permeabimus cũ

Peri-

Peripateticis, at ope alterius proximè ad Deum accedemus, vt per intimiora cognoſci valeat cũ Theologis, in illo quæremus rationes, in iſto adherebimus fidei ratione contempta, in illo per acquiſita procedemus, in iſto per infuſa, & reuelata, illud quidem poteſt obumbrari, & decipi, iſtud in ſua obſcuratione clariſſimum ſine deceptione, redditur; illud peperit philoſophiam, iſtud theologiam, largitum eſt; Vtriuſque verò luminis ſplendores cum noſtræ mentis tenebras expellere ſatis idonei exiſtant, hinc nobis viſum eſt exagonam diſputationẽ, ſiuè Irradiationem ex philoſophia inſpectrice per primũ lumen, & ex Theologia diuina per ſecundum lumen prodeuntem, inſtituere, vt per congruos gradus humani ſtudij inexoptatam perfectionem deducatur humana mens, & indè meritè cuncta de homine acclamata Encomia à ſapientibus veriora, & rectè concinnata appareant. Ex dictis ad Sex Sydera contemplanda præcipuè oculus mentis feratur.

Sex Sydera Proemij.

1 Homine nil perfectius, & ſublimius cenſeri debet, ſed eo nil imperfectius, & miſerius.

2 Dogma Platonis, quod intellectus ab initio habuerit inditas rationes, minus verũ cenſetur. Quemadmodum quod ſcientia in nobis erumpat per reminiſcentiam, falſum iudicamus.

Omnis

3 Omnis namque doctrina, & diſciplina, ex præexiſtenti fit cognitione.

4 Intellectus itaque noſter in prima ſui conſtitutione eſt pura potentia reſpectu intelligibilium, omne enim recipiẽs debet eſſe denodatum, eo quod recipere debet.

5 Satis fuit vt ſumus Opifex conceſſerit homini actum primum pro ſua poſtrema perfectione aſſequenda.

6 Duplex lumen ad effugandas ignorantiæ tenebras habemus inſitum, vnum, nobis à natura conceſſum, à quo Philoſophia ortum duxit, ſupernaturale alterum, & reuelationis à Deo Opt. Max. ex ſua liberalitate pręſtitum; quod nobis Theologiam peperit.

PRIMA

PRIMA RADIATIO,

Vbi finis humanæ mentis proponitur, & instrumenta pro illius aſſecutione aſſignantur.

AEGRITVDINEM animi eſſe vitium, neminem latere putamus, hoc namque ex perturbationum, quaſi primarum qualitatũ intemperie conſurgit, ſed quod ignorantia mentis humanæ ſit deformitas ex priuatione, ſeu ex deprauatione commenſurationis, vel congrui habitus conſtituta, omnes concedunt; quam duplicem aſſignant, vnam negationis, prauæ diſpoſitionis alteram; quarum hæc poſtrema, vt humanarum actuum princeps cauſa, quemadmodum à Platone in ſophiſta moniti ſumus, ita deterrimam arbitramur: ſed numquid quia Homines à prima origine huiuſmodi deformitatem contraxerunt, vt diximus, adeò fami-

liaris ei cenſebitur ignorantia, vt ab illa expurgari, haud poſſimus? Abſit, ſcientiam namque longè magis illi eſſe naturalem, & propriam, quam ſit ignorantia, putamus. Pro cuius theorematis explicatione hoc ſolum obſeruatum iri debemus; cuique rei finis, ad quem procreata res eſt, naturę illius eſt conſonus, ad illumque naturaliter fertur; cæterum ſi hominis finis inueſtigandus proponatur, an cum Epicuro affirmare audemus, fruſtra homines natos eſſe, fortuitò vitam traducere miſeram, vlloque fini adſcriptos eſſe? Haud quidem; ſed, vt omnia à Deo prodeuntia debito fini ſunt deſtinata, & nihil à natura fit, niſi fine determinato, homine præcipuè inter cætera animantia præclariſſimo: finis aliquis à Deo, & à natura illi perſcribi, cenſendum eſt: finem verò hominis nobiliſſimi, nobiliſſimum aſſignamus, ſi cum ſuo principio, à quò dimanat, & cuius notam inter cætera in animo geſtat, ſimilis redditur; hanc nihilominus ſimilitudinem ad Deum, hinc petit Homo, vt quemadmodum Deus duplici pollet operatione, immanente vna, qua ſe, & cætera contemplatur, tranſeunte altera, qua omnia creat, & creata conſeruat; pari pacto, & homo hac duplici operatione gaudens, immanente, qua inferiora, ſeipſum, & Deum agnoſcit, tranſeunte alia mirabiles effectus efficiendo, ęmulus Dei factus, finē etiam pro quo à natura donatus, ſe aſſecutum non immeritò cenſetur: Intellectionem, itaque & contemplatio-

plationem finem hominis nominarent ſapientes, hinc Pitagoras, auctore Iamblico, inquit, à Deo natos eſſe homines, vt cognoſcerent; præcipuèque Cœlum, & Stellas conſpicerent, vt qui Stellas creaſſet, & motum ordinemque dediſſet, intelligerent; quod etiam ex ipſiuſmet nominis ethimologia clarum oſtenditur, dum Homo ex Græcis Antropos vocitetur, id eſt ſurſum aſpiciens, contemplans, ſpeculans, quare Epictetus. & Arianus viri doctiſſimi ſcripſere, Deum, Hominem introduxiſſe ſpectatorem ſui, & operum ſuorum; Immò, & interpretem eorundem, ſed nunquam interpres erit eorum, quę facta ſunt à Deo, niſi illa benè cognoſcat, intelligat, & ſcrutetur: Quamobrem citra controuerſiam Homo cum natus ſit ad cognoſcendum, & contemplandum, cognitio, & ſcientia etiam non ab re dicenda erit Hominis magis naturę conſona, quam ignorantia. Explicandum nihilominus venit, quomodo talis cognitio in mente gignatur, quæ principia habeat, & ſub quo habitu reponatur, & quidem pro ſcientiæ, necnon intelligentiæ origine nos latere non debet, humanum ingenium Hominiſque rationem eſſe initium proximum inueniendi, & formandi contemplationes, quod vt expleat per naturæ inſtintum à Deo, diuinaq; prouidentia pendente, commouetur, occaſionem præbente admiratione; Quare erudite ſcientiam dicebat Plato eſſe filiam admirationis, & Ariſtot. in diuina Philoſophia tradebat, propter

admirari cępiſſe Homines philoſophari. Verum, ſcientia ſub habitu contemplatiuo eſt collocanda; vt diſtinguitur ab actiuo, & factiuo, qui vt neque dici merentur partes Philoſophiæ, ita neque ſcientiæ nomine digni habiti ſunt; & ſi artes filiæ, & fructus Philoſophiæ cenſeantur. At contemplatio poteſt verſari, vel circa principia, & tunc dicenda eſt habitus principiorum, ſiuè intelligentia, vel circa Concluſiones, & propriæ ſcientiæ nomine honeſtatur; vel circa altiſſimas cauſas, & ſapientia conſurgit, vndè tres prodeũt habitus noſtræ mentis, actiuus, ſiuè prudentia proactione morali inſtituenda; factiuus, ſiuè ars, vt tranſeũte operatione Deo aſſimiletur, efficiendo in externam materiam; contemplatiuus, vt potiori actione intellectus perfectè iungatur ſuo principio. Cæterum ſi conferamus contemplationem cum prudentia, illam diuiniorem, hanc humaniorem, illam parentem, hanc prolem, illam principem, hanc famulam appellamus, eam ex Hominis diuinitate oriri, hanc ex humana indigentia; eam nos eleuarę ad Deum, hanc nos detinere inter Homines, enunciamus; quo pacto cum nobiliſſima exiſtat, nobiliſſimus ei etiam debetur locus in Repub. Vndè meritò dicatur contemplatiuus eſſe Mundi Ciuis, & à ſecretis Principis vniuerſi ſedere; quare iurè meritò, non Athenienſem, ſed Mundanum ſe prædicabat Socrates. Attamen pro aſſequenda hac præſtantiſſima Hominis actione, nempè contemplatione,

pro inueſtigatione, & indagatione ſuorum quæſitorum indiget aliquo inſtrumento humana mens, quo ſibi aliquo ignoto propoſito, ex aliis ſibi notis illud notificare queat, & communiter appellatur Methodus; Quot verò ſint numero tales methodi, lis eſt non parua inter celeberrimos philoſophos; Aliqui enim quatuor aſſignãt methodos, & vltra demõſtratiuã, & reſolutiuam addunt deffinitionem, & diuiſionem; deffinitionem quidem hac freti ratione, quod de deffinitione à logico pertractatur, vt tradit Ariſt. lib. 7. diuinæ Philoſophiæ tex. 42. logici autem munus eſt inſtrumenta ſciendi docere, vt ex Auerroe 1. poſterio. in prologo clarè elicitur. Deffinitio igitur inter inſtrumenta notificantia debet reponi. Sed quòd inſuper diuiſio ſedem obtineat inter methodos, liquido probatum cenſent, progreſſus varios Ariſtot. contemplantes, in tradendo nobis rerum deffinitiones, præcipuè 2. phyſic. tex. 1. dum naturę deffinitionem docet, diuiſione eorum, quæ ſunt, talem deffinitionem indagat; quantum à veritate alieni ſint ex hoc poteſt clarè deduci, Methodi naturam ſpeculando; quæ alia non eſt, niſi notificare quæſita, quam virtutem non habere deffinitionem poteſt oſtendi ex ipſomet Ariſtot. qui in primo de anima indagans animæ deffinitionem, quærit qua methodo ſit indaganda, quod non contingeret ſi deffinitio eſſet methodus, & cum ſit ignota, non poteſt habere vim notificandi aliud ignotum, præſer-

tim cum ſpectet ad primam operationem intellectus, carente omni diſcurſu: Cæterum quod etiam diuiſioni deſit, huiuſmodi vis notificatiua, dictum Ariſt. 2. poſter. tex. 23. accipiatur, dicit enim, nos per diuiſionem non ſyllogizare; quod etiam 1. priorum, cap. 3. indicauit contra Platonem, diuiſionem nullo pacto notificare quidpiã. Non ſunt igitur methodi appellandæ deffinitio, nec diuiſio; nec vrget quod dictum eſt de deffinitione, quoniam à logico non pertractatur de deffinitione, vt eſt quid diſtinctum à demonſtratione, ſed vt principium, vel illius finis: & quidem concedimus diuiſionem cõcurrere ad conſtruendas deffinitiones, quatenus ordine quodam præparant prædicata in deffinitione apponenda, ſed quod huiuſmodi prædicata de deffinito notificent, non ex diuiſione pendet, ſed aliunde. Reſtat igitur, quod ſi propriè loqui velimus, in methodorum ſede collocantur hæc duo ſolùm inſtrumenta, demonſtratio videlicet, & reſolutio; ſiquidem demonſtratio ex cauſis nobis notificat effectus, reſolutio verò cauſas inueſtigat per poſteriora, & effectus. Sydera ex hac prima Irradiatione ſex prodeunt aſpicienda:

Sex Sydera.

1 Hominis conditioni magis ſcientia, quam ignorantia arridet, illiquemagis naturalis exiſtit.

2 Vt omnia entia ſic Homo præcipuè ad aliquem finem dicitur procreatus.

3 Finis Homini aſſignatur, vt Deo ſuo principio aſſimiletur, quam aſſimilationem ſortitur per duplicem operationē, tranſeuntem, ſcilicet, & immanentem.

4 Tres ſunt habitus mentis noſtræ, factiuus, actiuus, & Contemplatiuus, hic cæteris eſt nobilior, & præſtantior.

5 Ingenium, & Ratio humana eſt principium proximum, vt contemplatio formetur, occaſione accepta ex admiratione.

6 Pro veritate indaganda in habitu contemplatiuo duo tantum inſtrumenta ſunt ſufficientia, nempè demonſtratio, & reſolutio.

SECVNDA RADIATIO,

In qua habetur totius contemplationis diuiſio in tres partes, & mathematicalia cognoſcuntur.

CAMPVS humanæ cognitionis, adeò latus eſt, longus, atque profundus altus quin etiam, & ſublimis, vt non facilè quiuis illuc poſſit aſcendere, cognitioniſque, & intellectionis carpere, & fructus deguſtare; nam vt ille dicebat, in rupibus habitat: Vt autem per aliquot ſemitas vnicuique additus pateat, & acceſſus, hinc humanæ contemplationis diuiſio afferenda eſt. Et quidem habitus contemplatiui ſi ſpectemus eam rationem, ſecundum quam pendet ab eo lumine, quod à natura intellectui eſt inditum, vnicum eſſe fatendum eſt, ſicuti vna eſt illa, & communis ratio ſpeculandi, vndè perficitur: Et poteſt addi non abſonum eſſe à ratio-

ne, ſi duos habitus tantum ſpeculatiuos aſſignamus; quatenus duæ ſunt ſubſtantiæ ſpeculandæ; Vna penitus à materia abiuncta; altera materiæ concreta, & ſubſtantiarum propriè dicitur ſpeculatio; Vndè forſan poſſet à vera ſpeculatione adimi, quæ circa quantitatem detinetur: ſed triformem eſſe, ternarioque numero abſolui eius perfectionem lubet cum Ariſtot. 6. diuinorum, vbi in tres gradus totam ſpeculationem diſtribuit, videlicet, Phyſicam, Mathematicam, & Methaphyſicam; nec audiendus eſt Auerroes perperam arbitrans 1. met. 47. conceſſis, videlicet ideis quartum genus ſpeculationis conſurgere, cum Methaphyſica foret huiuſmodi ſpeculatio, cuius eſt etiam contemplari, an dentur. Cæterum vndè exhauriatur certa hæc, & determinata partitio, ne ſine ratione aliquid dicere contingat, a diuiſione rerum omninò ſummi ſubſtinemus, vt communiter enunciatur, ſcientiæ ſecantur ſicuti res; obſeruatione tamen eſt dignum, non quamlibet rerum diuiſionem manu ducere nos in diuiſionem ſcientiarum, ſed illam tantummodo, quæ rerum diuiſarum arguit diuerſa principia, varias partes, diſtinctaſque paſſiones, & quidem tales res, cum ternario numero claudantur, trinam etiam rerum ſpeculationem meritò aſſignauimus; Rerum namque aliquæ ſunt abſtractæ à materia pænitus, ita vt neque in illarum eſſe, neque ſi cōtemplentur materiam vllo pacto includunt, & prodit Methaphyſica; aliquæ penitus immer-

merguntur in materiam, tum quantum ad eſſe, tum quantum ad cognitionem, & phyſica ædi- tur in lucem; aliquæ tandem, licet in eſſe mate- riam concernant, tamen intellectus eas ſpeculan do, materiam non animaduertit, & mathemati- cas pariunt; Inſtitutum noſtrum erit in quamli- bet ingenii aciem dirigere, vt lumine à natura innato illuſtrati ab ignorantiæ labe, purgari, ni- tamur. A mathematicis initia ſumamus, quippe quę inter reliquas contemplationes ab inſpectri- ce Philoſophia magis elongantur, non quidem quod & ipſę omninò ab illius nomine arcean- tur; Hinc enunciare valemus mathematicas pri- mas medias, & poſtremas poſſe dici, nam ſi certi- tudinem, facilitatem, nec non noſtrum cognoſ- ſcendi modum mens animaduertat primo loco debent adiſci, vnde in Platonis Accademia in- gredientibus ſcriptum patebat, nemo mathema- ticarum ignarus huc ingrediatur. At ſi ad ab- ſtractionem oculos dirigamus, mediæ iurè nun- cupantur, quoniam in ipſis verſati facillimè ad abiuncta eleuamur; poſtremæ tandem ſunt iu- dicandæ ſi dignitas, & natura ſpectetur, quæ eſt, accidentia contemplari; attamen, & ſi ſint igno- biliores, maximam quidem vtilitatem præbent varijs, & potioribus artibus numeros enim, & menſuram ſubminiſtrant, quibus cunctæ ferè ar- tes potiſſimum, vtuntur fuit probatum, certitu- dine primarias ſedes obtinere mathematicas, quod, vt magis pateat diſtinctione vtimur: certi-

tudi-

tudinem nempè duplicem eſſe; vnam quoad nos, alteram quo ad naturam, illa ex imperfectione prodiit, iſta ex perfectione abſit; quod hanc poſtremam illis adaptemus, qua re ruit illorum conſequentia, cum ex certitudine inferre volunt eorum perfectionem, & præſtantiam: quod verò mathematicus abſtrahat à materia, clarè traditur ab Ariſt. 2. phyſ. 18. dum habet, illum per intellectum abſtrahere à motu; & in primo lib. de anima tex. 17. ex remotione, id eſt ſecundum quandam abſtractionem, mathematicus conſiderat quantitates, & idem fatetur, ſæpius, tum in 3. de anima ij, tum 7. meth. 35. ſed hic haud minima nec ſpernenda contingit dubitatio, qua ratione, videlicet quantitas abſtrahi poſſit à ſuo ſubiecto, cum clarum ſit apud omnes Philoſophos, poſterius non poſſe abſtrahi à ſuo priori, nec relatiuorum diſtinctam cognitionem haberi, niſi ad ſe inuicem deffiniantur, quare cum accidens, vt eſt quantitas dicat eſſentialem ordinem ad ſubſtantiam, vt per ipſam definiri debeat, tradit Ariſtot. 7. met. 19. & primo poſt. tex. 33. accidens inquit quando pronunciatur, ſemper intelligitur alterum quid ſcilicet ſubiectum, videtur, itaque mendax, immò impoſſibilis huiuſmodi mathematicha abſtractio. At difficultatis nodum aperiemus ſi huic nitamur fundamento ex Ariſtot. tex. 28. 2. phyſ. accepto, abſtractionem videlicet eſſe duplicem; Vnam ſecundum præciſionem, quæ in prima operatione intellectus con-

tingit, dum vnam conſiderat, altero non conſiderato, & de hac Ariſtot. docebat abſtrahentium non eſſe mendacium, hac quæ vtitur paſſim mathematicus: Alteram verò abſtractionem ſecundum affirmationem, & negationem in ſecunda operatione noſtræ mentis cõtingere, dum vnum negatur de altero, vel aliquid affirmatur, & pœnes hanc poteſt eſſe falſitas, quæ tamen eſt aliena à mathematico, hinc fit, quod cum ſubſtantia non ſit genus ad accidens, de quo vel vt genus, vel vt differentia enunciari valeat, non erit contra accidentis naturam ipſum conſiderare, non conſiderata ſubſtantia, cuius eſt accidens; & hac ratione, quantitas à qualibet ſubſtantia abiuncta ſpeculationis eſt mathematicæ; quare aſſerebat Ariſtot. 2. phyſ. tex. 20. de geometria, quod conſiderat lineam phyſicam, ſed non quatenus phyſica eſt, id eſt accipit lineam, quæ quidem ſecundum rem phyſica eſt, & habet naturaliter ſubiectum cęterum ita abſtrahit intellectus, vt non amplius phyſica ſit, quia ſubeſt abſtractioni mathematicæ. Sed ſilentio non prætereamus diſciplinarum mathematicarum, alias puras, alias eſſe medias, puræ ſunt duæ, vna quę continuum contemplantur, & eſt Geometria; altera, quæ circa diſcretum detinetur, & vocatur Arithmetica; Mediæ tres præcipuè numerantur, Aſtrologia, Muſica, & Perſpectiua; inter puras, & medias hoc intercedit diſcrimen, quod puræ ſimpliciter abſtrahunt à materia; mediæ verò etſi modum demonſtran-

monſtrandi mathematicum ſemper retineant, nihilominus in re cōſiderata inuoluunt aliquod ſenſibile; Vnde 12.met. tex.44. docebat Ariſtot. Aſtronomiam, quæ inter mathematicas recenſetur conſiderare Cælum, quod ſenſibile quoddam eſt. Sed hactenus de Mathematicis, in quarum Radiatione hæc Sydera conſpiciuntur.

Sex Sydera.

1 Vnicam binam, ſed rectius trinam ſtatuimus contemplationem, pœnes triplicem ſeriem rerum ſpeculabilium ex diuerſo modo abſtrahendi orta, & eſt, Methaphyſica, Phyſica, & Mathematica.

2 Mathematicæ, & primæ, & mediæ, & poſtremæ poſſunt nuncupari in ſerie ſpeculabiliũ.

3 Et ſi ſint certiſſimæ, non tamen ſunt enunciandæ præſtantiſſimæ.

4 Abſtrahunt à materia ſenſibili quidem, ſed abſque vllo mendacio.

5 Dantur mathematicæ pure, ſcilicet Geometria, & Aritmetica, dantur, & mediæ, videlicet Aſtrologia, Muſica, & Perſpectiua.

6 Inter quas hoc diſcrimen ſtatuitur, quod puræ mathematicæ, ſimpliciter abſtrahunt, tũ in modo conſiderandi, tum in re conſiderata; at medię in re conſiderata admittunt materiam; nunquam in modo conſiderandi, qui ſemper eſt Mathematicus.

RADIATIO TERTIA.

Contemplatio de natura de principijs rerum natura conſtantium, nec non de illarum communibus affectionibus.

HACTENVS mathematicales radiationes luſtrauimus, rationi videtur conſentaneum, illius contemplationem adire, quæ diuinæ Prouidentiæ cum miniſtra exiſtat, non mediocre lumen parit pro effuganda gnorantiæ caligine, hanc naturam vocitant, circa quam Phyſicus verſatur, non ita tamen, vt natura ſit eius ſubiectum, vt perperam nonnulli exiſtimarunt; natura enim non genus ſcibile, ſed principiũ ſtatui debet, per quod intrinſecus omne id, quod habet naturam, conſtituitur; habens igitur naturam quod eſt Corpus phyſicum de-

bet indicari ſubiectum adæquatum vniuerſæ naturalis Philoſophiæ, de quo motus, & reliquę affectiones naturales poſſunt per principia demonſtrari; Ratio autem conſiderandi apponitur, quatenus eſt præditum interno principio motus. Sed ſtatim primo in limine offenditur mens noſtra, nec ignorantiæ deformitatem auferre à ſuimet per huiuſmodi contemplationem arbitratur, quando res naturales ſibi propoſitas corruptioni obnoxias, & contingentiæ inuenit; ſed crederem ab omni ſcrupulo poſſe liberari, ſi in ipſis, relictis accidentalibus prædicatis, eſſentialia tantū aciem ſpeculationis conuertat; hæc enim propriè ſciri non eſt, qui ambigat, & fatetur Ariſtot. 6. met. 2. vbi docet, phyſicam eſſe verè ſpeculatiuam eorumque ſunt in materia, & formas, & paſſiones habet in materia. Verum cum ſit ſpeculatiua, non practica, hinc ordine compoſitiuo omnia theoremata illius diſponuntur, ita vt ſemper ab vniuerſalioribus incipiendum ſit ad particularia progrediendo; hinc ortum duxit illa pulchra, ſed quidem ardua quæſtio, An quod primo ſe ſe offert intellectui ad cognoſcendum ſit ſingulare ſub conceptu maioris vniuerſalis; puta entis, an minoris vniuerſalis, videlicet ſpeciei ſpecialiſſimæ, & primæ parti ſe ſubſcribit Doctor Angelicus de ente, & eſſentia in principio: Secundam verò amplectitur Scotus Doctor ſubtilis; & quidem D. Thomam nos ſequemur, tum quia ex conceptu entis prima principia comple-

xa:

xa conſtruuntur, quæ ſunt nobis primò nota; tum quia omnium mortalium, hæc eſt communis conditio, vt ab imperfecto ad perfectum tendat, imperfectior eſt autẽ appræhẽſio conceptus maioris vniuerſalis, tandem accidentia maioris vniuerſalis magis mouent ſenſum, cum ſint ſimiliora, quò circa erunt etiam cognitu faciliora. Modò inueſtiganda ſunt Corporis Phyſici, quæ ſint illius principia; & quidem non alia via pro illis inueniendis reperitur; quam rerum tranſmutatio, per quam Ariſt. primo phyſicorum inueſtigat, & docet eſſe contraria, eſſe tantum tria, materiam, ſcilicet formam, & priuationem. Attamen non fruſtra quis poſſet dubitare, ſi principia in ſcientia debent ſupponi, vt docetur, primo poſter. 73. quomodo Ariſtot. rei naturalis principia probare auſus eſt? At latere nos non debet, tum ſubiectum, tum principia debere in ſcientia ſupponi, vt nulla ratione poſſit probari, principia verò (præcipuè eſſendi) ſi fuerint incognita, poſſunt quidem inueſtigari methodo reſolutiua, & à poſteriori, quare Philoſophus via generationis duxit nos ad cognoſcendam materiam, formam, & priuationem. Modò de materia aliquid cognoſcere conuenit, & primo, quod habeat actum, quem vocant entitatiuum, nobis perſuadetur, cum enim ſit actu præſens, vt ſuſtentet formam, quod eſt exercere ſuam cauſalitatem, neſcit intellectus ab illa talem actum inficiari, cum omnis actus præſentiæ, actum entis ſupponat; nec

talem actum euertit, quod materia ſit pura potentia, quam dicimus eſſe illius conditionem eſſentialem; numquam tamen aſſentire poſſumus illis, qui cum actu entis, etiam exiſtentiam concedunt, ita vt per diuinam ſaltem potentiam, ſeorſum ab omni forma exiſtere poſſit; fortaſſe hoc nobis videtur valdè dubium, cum enim forma ſit causa exiſtentiæ apertam contradictionem includere nobis oſtendit. Cæterum de forma, quod eſt alterum principium aliqua enunciamus; fuerunt nonnulli putantes, formas naturales habere eſſe in materia, licet incompletum, quod quidem falſiſſimum reputamus, non enim actu reperiuntur formæ in materia, ſed potentia, & quando generantur, dicuntur educi de potentia materiæ quia producuntur ab agente dependenter à materia, concurrente ſolum per modum ſubiecti. Ex forma tanquam actu, & materia tanquam potentia fit compoſitum, tanquam vnum per ſe, in quorum congreſſu, hæc duo nobis conſideranda occurrunt. Primum eſt, quod tale compoſitum reſultans ex huiuſmodi vnione, non eſt quid tertium diſtinctum realiter à ſuis partibus, ſed ſolū ratio animaduertit aliquam diſtinctionem; Alterum quod occurrit eſt, formam in compoſito dicere ſolum totam illius quidditatem, materia verò potius cum Auerroe ſignificat vehiculum deferens quidditatem; An verò forma informans dicens totam compoſiti quidditatem ſit præſtantior, & nobilior compoſito ab ipſa conſtituto cū

lis ſit inter Latinos, & Auerroem iudicem inter illos minimè eſſe quærimus, ſed potius vtriuſque partes ſuſtinere nitemur. Vtrumque principium compoſitum conſtituens natura dici illius, meretur, & ſi potiori ratione formæ ſit accomodanda, & rectè deffinitam putamus ab Ariſtot. cum tradit, natura eſt principium motus, & quietis, eius in quo eſt primò, & per ſe; quam deffinitionem ex quadam proportione Cælo, adaptamus, cuique animæ, etiam intellectiuæ; quo circa res naturalis in eſſe conſtituta per materiam, & formam, ſi ad noſtrum intellectum referatur, vt contempletur, tunc illamet principia illis largientia eſſe, cauſæ dicuntur intimæ; quibus ſi externæ ſcilicet efficiens, & finis adiungantur, quatuor conſurgunt genera cauſarum pro perfecta cognitione rei naturalis habenda; Et cum ſubiectum vltra principia proprietatibus, & affectionibus debeat eſſe præditum, quæ ſecundum naturam dicuntur in ſecundo phyſic. Hinc cognitis principiis etiam proprietates, quæ vniuerſæ conſequuntur. Corpus phyſicum, iurè inueſtigantur ab Ariſtotel. in tertio, & reliquis lib. phyſicorum. Vnde apparet veritati non eſſe conſonum, etiam tertiũ librum debere vocari de principijs, cum ſatis conſtet, ſolum duos primos libros de Phyſico auditu nuncupari, & inſcribi de principijs. Huiuſmodi verò affectiones ſunt motus cum quo nectitur quies, continuum, infinitum, locus, vacuum, & tempus; & quidem motus, qui inter præcipuas

pro-

proprietates recenſetur (eſt enim quodammodo vita omnium) variæ numerantur ſpecies, localem motum præſtantiorem cunctis nominamus, huic nãque, vt dicatur abſolutè primus, & perpetuus conuenit etiam per iſtum ex ſerie motorum, & mobilium ad primum motorem penitus immobilem; euehit nos Philoſophus in 8. phyſic. qui licet fateretur eſſe immobilem, impartibilem, immixtum, & alia prædicata de illo enunciaret, attamen quia exiguo lumine irradiabatur, non potuit peruenire, vt veritatem cognoſceret eſſe infiniti vigoris, liberèque agere; ſed huius lucis ope ſydera conſpiciamus.

Sex Sydera.

1 Corpus Phyſicum; vt Phyſicum, de quo verè eſt ſcientia ſpeculatiua, adequatum ſubiectum Philoſophiæ naturalis, cum ſtatuatur ordine compoſitiuo traditur contemplandum, in cuius contemplatione eſt proceſſus ab vniuerſalioribus, quo circa maximè vniuerſale, ſcilicet ens cum D. Thoma dicimus primum cognitum.

2 Huius inueſtigantur per tranſmutationis viam principia, quæ ſunt contraria, & tria tãtum videlicet materia, forma, & priuatio; & materia quidem habet actum entis, licet ſit pura potentia abſque tamen vlla exiſtentia, nec per diuinam potentiam.

3. Forma alterum principium, quæ de potentia materię educitur ſimul cum materia conſtituit compoſitum, non tanquam quid diſtinctum ab ipſis; & quidem forma eſt compoſiti tota quidditas, ſed an ſit nobilior compoſito, vtramque partem ſuſtinemus.

4 Materia, & forma ſunt rei phyſicæ natura, quæ recte deffinitur ab Ariſtot. quam deffinitionem etiam Cęlo adaptamus, cunctiſq. animarum gradibus etiam intellectiuę.

5. Habet res naturalis ſuas proprietates, quas Ariſt. aſſignat in tertio, & cæteris phyſicorum lib. non enim tertius liber eſt dicendus de principiis, ſed primus tantū, & ſecundus. Huiuſmodi verò affectiones ſunt motus cū quo nectitur quies, cōtinuum, locus, vacuū, & tempus; & motus eſt præcipua, cuius & ſi ſint plures ſpecies, motus tamen localis eſt præſtantior primus, & æternus, per quem attolimur ad cognitionem primi motoris.

6. Primus motor eſt penitus immobilis, impartibilis, & immixtus, at quod ſit agens liberum, & infinitæ virtutis, ignorauit Ariſtot.

RA-

QVARTA RADIATIO,

In qua Mundum, & quæ in Mundo ſunt contemplamur.

SI quid eſt, quod hominem faciat excellentem, adeptio, & acquiſitio eſt ſcientiarum; veluti enim hæc hominem ſupra homines alios in excellentiæ gradu conſtituit, ſic vlla ſine comparatione hominem ſuper bruta facit excellentiſſimum, nam

Separat hæc nos
Agrege brutorum, atque ideo venerabile ſoli.
Sortiti ingenium, diuinorumq. capaces.

Hinc in contemplationem phyſici Corporis progreſſa humana mens, illiuſque principiis, natura, & communibus affectionibus decurſis, admirabilem modò, & diuinam potiùs, quam humanam Mundi, & quæ in Mundo ſunt cogni-

tionem aggrediamur; qua abſoluta ad alia conuolabimus, quæ altioris ſunt contemplationis; ad priorem accedamus. Cum nomen plura ſignificans, prius ſit diſtinguendum, quam deffiniendum, de quo Mundo ſimus acturi præmonere debemus, ne in æquiuocationem labamur. Mundus igitur cum integritatem quandam, ac vniuerſitatem præ ſe ferat, cum variæ vniuerſitates reperiantur, multas etiam Mundi ſignificationes parere, neceſſe eſt: Accipitur itaque Mundus aliquando pro Deo, & dicitur. Mundus eminentiſſimus, ſecundo pro quauis intelligentia, & dicitur Mundus eminens, tertio pro vniuerſo ex omnibus Corporibus conflatum, quarto pro Cęlo, & dicitur Mundus æthereus, quinto pro elementis, & dicitur elementaris, ſexto pro omni animali, demum Homo Mundi nomine non iniuria deſignatur, & præcipuè ſapiens, nam per ſapientiam dicitur factus omnia; nunc tamen de vniuerſo Mundo corporeo ſermo eſt, cuius contemplationi addicti, vt ignorantiæ velum ſcindatur, debent illius quatuor cauſæ cognoſci, forma, ſcilicet materia, efficiens, & finis. Prius tamen explicanda proponitur Mundi perfectio, & quidem ab Ariſtot. duæ illi adaptantur perfectiones, vna communis cum alijs Corporibus, quod ſcilicet trina dimenſione gaudeat; altera eſt illi peculiaris, nempè quod intrinſecus continet omnia; cętera namque Corpora extra ſe terminū proprij contactus agnoſcunt, terra namq. aqua,

aqua aere, & ſic deinceps vſque ad primam ſphęram omnia terminantur; prima autem ſphęra cũ alio Corpore ſuperiori à quo tangatur cum careat, cuncta, vt totum ambit, nihil extra ſe relinquendo; cuius autem nihil eſt extra ſe, id eſt perfectum, & totum, aſſerebat Ariſtotel. 3. phyſ. 63. Mundum igitur perfectum dicimus: At iure quis dubitare poſſet; quomodo huiuſmodi vniuerſitati diuerſarum rerum forma aliqua communis reſpondeat, cum enim ex Ariſtot. 2. phyſic. 26. alterius materiæ altera ſit forma, & tot ſint materiæ, quot Corpora contenta, impoſſibile videtur, vt cunctis Corporibus vna communis forma, reſpondeat, & ex conſequenti Mundus carebit forma, & perfectus nõ erit cenſendus; à forma enim perfectio, & complementum emanat. Sed vt cognoſcatur Mundi forma, haud cum Auerroe aſſerimus talem formam eſſe rotunditatem, & orbiculatem figuram, neque cum Platone putamus Mundo animam quandam debere tribui, à qua ſuam exhauriat virtutem; ſed verius cum Alexandro talem formam Mundo eſt adſcribenda cum dicimus, omnia in mundo eſſe eſſentialiter ordinata, quo eſſentiali ordine Mundus, vt res ethęrogenea dicitur formatus, vndè lib. de Mundo ad Alexandrum dicebat Ariſtot. Mundus eſt rerum ordinata congeries; à quo ordine ſi illa ſimplicia Corpora recederent, antiquum illud repeteretur chaos, de quo Ouidius.

Vnus erat toto naturæ vultus in Orbe
Quem dixere chaos rudis indigeſtaque moles.

Quo circa forma dans eſſe Mundo, ſiue perfe-ctionem eſt ordo repertus inter ipſas cæleſtes, atque terreſtres ſpheras. Materiam autem eius ſi quæramus; terreſtris quidem ſpheræ, rudis illa indigeſtaque moles, quam fortaſſe citauit Homerus nomine Oceani, parentis rerum omnium, nũcupati, verius tamen ab Ariſtot. nomine materiæ primæ fuit rudimentum, principium, & inchoatio, quod quidem cõmuniter inter Philoſophos eſt: Verum alterius ſpheræ nempè cæleſtis, quam nobis deſignant omnes orbes ſupra terram aquã aerem, & ignem, an ſit eadem materia, quæ eſt inferiorum ſublunarium, non omnium fuit eadem ſententia; Nos paripateticis principijs innixi, dicendum putamus, in cęleſtibus orbibus, aut nullam eſſe materiam, aut ſolum vndè, & quò, quoniam illa Cœleſtis ſubſtantia ab omni prorſus materia defæcata, dicatur, tunc ſolum materia, vt recipit motum, & cætera ſenſibilia accidentia: licet forſan alio lumine radiatis aliter phyloſophandum eſſet, præcipuè cum Reuerendiſſimo Steucho noſtræ Religionis honore, & coripheo lib. ſep. de perenni Philoſophia, cap. 4. nempè potuiſſe à ſapientiſſimo opifice limpidiſſimam Cœli ſubſtantiam ab aquis ſecerni, & ſeligi. Verum, cum vniuerſa materia ex qua poteſt fieri Mundus comprehendatur in hoc noſtro Mundo, quo circa non manet aliud ſubiectum, in quo forma Mun-

Mundi multiplicetur concludit Ariſtot. Mundum eſſe vnum,nec poſſe multiplicari. Sed fuit nè aliquando Mundus genitus, ita vt illi efficiẽs conueniat? ſola luce naturali radiati, ſi velimus huius quæſiti enodationem attingere Ariſtot.ſequamur,qui in Mundo ſolam dependentiã, pro illius conſeruatione à prima cauſa cognouit, & incorruptibilem, & æternum illum affirmans, etiam ingenitum confeſſus eſt, quod enim genitum eſt,corruptibile iudicandum,putat Philoſophus,quemadmodum etiam fatetur. Mundi finẽ non alium eſſe præter Deum; quò circa Deus Opt.Max.ponitur Mundi cauſa ab Ariſtot.in duplici genere cauſæ, tum efficientis, non quidem dantis eſſe, ſed ſolum conſeruantis, & in genere cauſæ finalis, quatenus omnia aſſimilari primæ cauſæ quęritant,& indiſſolubili nexu Mundi partes ſunt colligatæ ab vno pendent, in vnum finẽ conſpirant, & ex miro conſenſu,& diſcenſu partium varia pendent, quæ ignaros replent admiratione, hactenus de Mundo. Modò illius partes ſigillatim contemplemur. Pars ætherea occurrit, nempè Cęlum, quod eſt Mundi vertex, vniuerſi cor,medium perfectionis,domicilium Deorum. Corpus ſimplex, non compoſitum ex materia,& forma nec graue, nec leue, quinta eſſentia,figuræ ſphericæ, primum mobile, primum alterans,forma, efficiens, & regula Mundi mortalis;ac demum cęterorum corporum eſt eminẽtia; vt moueatur, habet intelligentiam aſſiſtentem,

cum qua componitur abſque compoſitione, cuius motus eſt verè naturalis, & regularis, cui alius non eſt contrarius motus, & quidem pateſcit, Mundum hunc inferiorem eſſe contiguum ſuperioribus illis ſpheris, vt indè ſeruetur, & contemperetur, ſed quibus inſtrumẽtis hoc præbeat, nõ ita clarum eſt, nam lumini, & motui aſtronomi influentias addunt, nos a Paripareticis non recedimus, cum dicimus inanes eſſe influentias, duoque inſtrumenta ſufficere, lumen videlicet & motum. At Cælum ſuſpicio aſtris præditum, ad cuius ſimilitudinem aſtra pendent in inſignibus Bauoſiæ familiæ, vt potè, quia benignitate, humanitate, eruditione, animorum ingenua ſinceritate vndique fulgens, tota ſe ſyderea oſtendit; aſtra itaque breuiter contemplemur, & quidem ſubſtantia declaratur eiuſdem naturæ cum Cælo, infixaque cum ſint orbibus, mouentur, & ipſa ad motum ſui orbis, à quibus, & ſi omnis influentia inficiatur, attamen ſi aliqua in illis admitteretur; inclinationem, & propenſionem tantum rebus ſublunaribus largiretur, nunquam coactionem, iuxta dictum ab omnibus acclamatum, aſtra inclinant, ſed non cogunt; Per huiuſmodi autem Cæli, & aſtrorum motum edi ſonum, & armonia putauit falſo Pythagoras; benè tamen affirmamus, ex ſymbolico Cęlo, & miſticis aſtris, dulciſſimam edi armoniam in auribus ingenuorum, tum contemplationis propemodum diuinę, tum actionum eroicarum à Reuerendiſſimo In-

quiſi-

quæſitor Antiſtite noſtro Alphonſo Bauoſio eru ditiſſimo Viro, & Prudẽtiſſimo Patre, cuius aſtra tantæ virtutis extant, vt non ſolum alliciant, & inclinent animos, ſed & cogant ad ſui amorem & cultum. Modo à terreſtri ſphęra lucem aliquam contemplationis exhauriamus, nè circa ipſam, cũ mens vagatur in ignorantiæ tenebras ſepulta remaneat. Hanc itaque in elementa diuidimus, & mixta ex ipſis, & quidem mixta aliqua imperfecta apparent, aliqua perfecta; & aliqua ſunt inanimata, aliqua animata. Elementa aſſerimus eſſe quatuor, & ſunt ſimplicia corpora pro mixtorum recta compoſitione à natura procreata, & horum formæ ſubſtantiales, cum nos lateant, benè per quatuor qualitates alteratrices circumſcribit Philoſophus; mouentur quidem elemẽta, tum à propria forma, tum ab alio; at cum dicimus à ſe moueri, nolumus ita intelligi debere, quod in duplicem partem mouentem, ſcilicet & mobilem, vti animalia, partiantur; & ſi libenter concedimus in elemento eſſe duo initia diſtincta, quorum vnum eſt radix, vt moueat, alterum, vt moueatur. Ex his mixta prodeunt, adeò tamen, vt ſeruentur in eorum formæ, tum eorum qualitates, ſed refractæ, & diminutæ: & primum, quod ex tali mixtione ortum ducit, eſt halitus, ſiue vapor quidam, quo diminutè mixta gignuntur, quæ metheorologica nuncupantur procreata quidem, aut per incenſionem, vt ſtellæ labentes, & cometæ, aut per congelationem aliquam, vt pluuiæ, grandi-

nes,

dines,& niues,aut per motum, vt venti, & terræmotus, aut per radiorum refractionem, ſiuè per repercuſſionem, vt iris: Inſuper ex tali mixtione inſurgunt alia mixta conſimilia, ſed perfectiora, vt lapides,foſſilia, & huiuſmodi: quibus non contenta natura, ad compoſitionem diſſimilium ex conſimilibus,non quidem mixtis, nec compoſitis,ſed inuicem connexis,ligatis, & copulatis effertur, vnde variæ partes etherogeneæ oriuntur, vt membra, quę inſeruire debent ſimul iunctis ad conſtitutionem Corporis viuentis, & hucuſque in Mundo refulgent illa mixta,quæ in anima appellantur,ſed vt ad animata progrediamur, vndè explorare noſmet valeamus,quoniam ex notitia formæ præcipuè pendet cognitio compoſiti,ideò aliqua veniunt accurratè de anima contemplanda;contemplatio quidem apprimè vtilis, & præſtantiſſima,;tum certitudine,tum nobilitate ſubiecti: deffinitur itaque anima, vt ſit actus corporis phyſici organici, ſed cum rudis appareat huiuſmodi deffinitio, melius explicatur per alteram, nempè, quod ſit principium viuendi ſentiendi mouendi,& intelligendi,adeò vt cōſurgant quatuor genera viuentium, plantæ ſcilicet animalia imperfecta, animalia perfecta, & Homo; in quibus anima an reperiatur tota in toto, & tota in qualibet parte Corporis, quantum ad eſſentiam cuiuſuis animę,conditio communis eſt,ſed quantum ad diuiſionem,excipi debet intellectiua;reliquæ omnes,& partibiles,& diuiſibiles ſunt ad diuiſionem

uiſionem

uiſionem ſubiecti; at vrget maxima lis inter D. Thomam, & Scotum de diſtinctione potentiarum animæ ab eſſentia ipſiuſmet, an ſit realis, an rationis tantum; nos cum Scoto aſſerimus potentias eſſe ipſammet animam, ſola ratione diſtinctas attamen quia valdè D. Thomæ addicti ſumus illius etiam ſententiam defendere, ſi opus eſt, parati ſumus, vt probabilem. Cæterum in ſpeciali quamlibet potentiam decurramus, & vegetatiuam ſpeculando, tres ei facultates videmus aſſignatas, nutrire ſcilicet augere, & generare ſibi ſimile; quæ omnia circa idem obiectum ſecũdum varias rationes, nempè circa alimentum detinentur; quibus, vt inſtrumentum, deſeruit calor, ad ſuas operationes obeundas; At in ſenſitiua facultate hæc apparent ſpeculanda, eſſe videlicet potentiam paſſiuam, cui duplex obiectum proponitur, vnum per ſe, alterum per accidens, & quod per ſe ſentitur etiam eſt duplex, vnum proprium cuiuslibet ſenſus, alterum commune omnibus ſenſibus, pro quorum ſenſatione indiget ſenſus propria ſpecie, & quidem vltra ſenſus externos, qui ſunt quinque, Viſus, Auditus, Guſtus, Odoratus, & Tactus, dantur etiam interni ſenſus, & primus eſt ille, qui dicitur communis, neceſſarius quidem, vt appræhendat omnium ſenſuum particularium obiecta, & vt iudicet ſenſibilia, quæ ſpectant, tum ad vnumquemquam ſenſum, tum ad omnes ſenſus; præter iſtum datur phantaſia; & eſt motus factus à ſenſu ſecundum actum, cuius

hæc ſunt functiones operari circa abſentia, proponere obiecta motiua intellectui, & appræhendere aliquãdo motionem boni, vel mali pro proſecutione iucundi, vel moleſti fuga; & tandem reperitur memoria, quę eſt pręteritorum, hicque ponitur ſtatus facultatum ſentientium, à quibus, vt eleuemur ad illum, quæ eſt particula animæ noſtræ rationalis, ad phyſicum dicimus ſpectare illius ſpeculationem, eſt enim forma informans dans eſſe humano Corpori, quamuis eſſe, vt cæteræ materiales formæ ab eo non recipiat, ideo ſeparabilis exiſtens immortalis, & incorruptibilis manet à parte poſt, eique cum duplex ſtatus conueniat, in Corpore, ſcilicet & extra corpus, quando eſt in Corpore etiam propriam operationem, quæ eſt intelligere, vt dependentem à Corpore, exercet, non quidem, quod egeat aliquo determinato Organo per quod exeat in operationem, vt ſenſus, ſed quia ſupponit alius facultates ſentientes, Organis affixas: pro ſua verò operatione exercenda duæ illi conueniunt differentiæ, paſſiua quidem, cuius eſt omnia fieri, actiua altera, cuius eſt omnia facere; & per ſpecies intelligit, cuius obiectum in intelligendo eſt quidditas materiæ concreta, à qua nata eſt moueri, & ſi terminetur à quolibet ente in actu etiã carente peculiari phantaſmate: hicque quieſcit intellectus in Mundi contemplatione phyſico lumine irradiatus, ex quo exagonum ſyderum aſpectum eliciamus.

Sex Sydera.

1 Mundus perfectus dici debet, cuius forma eſt ordo omnium partium inter ſe eſſentialiter ordinatarum; Materia verò cum vna ſit, vnus etiam eſt Mundus, quam ex doctrina Ariſt. à Cælo auferimus; verius cum Reuerendiſſimo Steucho ab ipſo includi dici poſſet; aſſerit etiam Ariſtot. Mundum eſſe ingenitum æternum, quod à Deo non pendeat in eſſe, cùm tamen à veritate ſint aliena, optimè conclusit Ariſtot. Deum eſſe vltimum finem, ad quem Mundus, & omnia, quæ in Mundo tendunt.

2 Sphęra cæleſtis præcipua pars Mundi, præſtantiſſima quidem pluribus eſt referta attributis, præcipuè, quod eſt ſimplex Corpus, non compoſitum ex materia, & forma, non graue, non leue, cui competit motus in orbem ab intelligentia conceſſus, quę eſt illi forma aſſiſtens, & eſt ei motus naturalis, regularis carens contrario, iſtaque inferiora regulat abſque influentijs ſolo lumine, & motu; in ipſo autem ſunt affixa aſtra, quæ eiuſdem ſunt ſubſtantiæ cum Cælo ad cuius motum mouentur abſque vllo ſono, & ſi quid influerent inclinationem non coactionem afferunt, quamuis aliter de miſticis aſtris in inſignibus Bauoſiæ familiæ

liæ phyloſophandum ſit.

3 Sphera terreſtris eſt vltima pars Mundi contemplanda, & continet elementa, & mixta ex his, illa ſunt numero quatuor, Corpora ſimplicia, quorum formæ nos latent, mouentur à ſe, & ab alio; & dum componunt mixtum remanẽt in ipſis remiſsè, tum formę, tum qualitates.

4 Mixta prima imperfectiſſima quæ prodeunt ex his ſunt methereologica ex vapore, & exhalatione genita, alia mixta producuntur perfecta quidem, ſed conſimilibus partibus inuicem connexis, quæ conſtituunt Corpus organicum.

5 Conſurgit vltimo mixtum animatum, quod per animam conſtituitur, & rectè deffinitur, vt ſit actus Corporis Organici; iſta tamen melius explicatur, quia eſt principium viuendi, ſentiendi, mouendi, & intelligendi, eſt quidem tota in toto, & tota in qualibet parte Corporis, & præterquam intellectiuam reliquæ ſunt diuiſibiles, an verò potentiæ differant realiter ab anima, tum Scoti, tum D. Thomæ ſententiam approbamus.

6 Vegetatiuæ tres ſunt facultates, alere, augere, & parere ſibi ſimile, habent que idem obiectum ſcilicet alimentum ſub diuerſis rationibus; ſentire autem, quod eſt pati diſtinguitur in quinque ſenſus, externos, quorũ obiectum aliquod eſt per ſe, & proprium,

aliquod

aliquod commune quod per ſpeciẽ proprii ſentitur: præter hos ſenſus dantur tres ſenſus interni, ſenſus communis, phantaſia, & memoria; ſed tertia anima, quæ eſt præſtantiſſima ſcilicet intellectiua cum ſpectet ad Phyſicum, vt forma informās materiam eſt indeficiens, & pro hoc ſtatu cum Corpore intelligit quidem cum illius dependentia, ſed eſt in organica, & ei duplex aſſignatur intellectus pro ſua operatione obeunda ſcilicet agens & poſſibilis, & dum intelligit per ſpeciem quidditatem materialem pro obiecto requirit.

RADIATIO QVINTA,

In qua mens attollitur ad contemplationem abſtractorum penitus à materia.

PRAECLARA ea quidem ſunt, quæ ad ipſum Mundum, & ad ea, quæ in Mundo continentur, pertinent, in quibus hactenus verſati ſumus; at quæ ad auctorem Mundi cæteraſque intelligentias ſpectant, præterquam quod diuina ſunt, etiam humanæ mentis ſunt propria, atque adeò accommodata, vt ſeorſum ab abſtractorum cognitione inanis, & ſuperuacanea omnis alia cognitio cenſeri, mereatur, per hanc enim, cum ſit præſtantiſſima omnium, iurè Philoſophus beatur; & humana fælicitate potitur. Deoque quò fieri licet, ſimillimus redditur, in alijs enim contemplationibus

prius diſponitur homo ad fælicitatem , quam ea frui dicatur : Iucundum igitur erit primæ philoſophiæ incumbere , eiuſque illuſtratione velum ignorantiæ circa altiſſima ſcindere , præcipuè, cum vnuſquiſque inditum habeat deſiderium ſciendi, iuxta illud axioma, omnis Homo natura ſcire deſiderat ; quod maximè expletur per illius contemplationem, quæ ſimul ſcientiæ & ſapientiæ conditionem induit, hancque eſſe methaphyſicam ſcientiarum reginam liquidò conſtat, quandoquidem altiſſimas cauſas vniuerſaliſſimaque principia indagat, maximè libera, necnon diuina dici debet ; & ideo omnium præſtantiſſima, quam contemplationem partim facilem ; partim difficilem vocat ; facilem ratione primorum principiorum, quæ nobis natura innoteſcunt ; difficilem verò cum parum vnuſquiſque Philoſophus de illa attigerit ; & difficultas profectò natura imbecillitate deriuat , ſicuti enim ſe habet oculus ni cticoracis ad lumen ſolis, ita noſter intellectus ad contemplationem abſtractorum, & quidem in hac Philoſophi Ariſtotelis comparatione, tum difficultatem , tum impoſſibilitatem contemplandi abſtracta haurire poſſumus ; nam ſi perfectè velimus ſeparatorum naturam inueſtigare, non ſecus, ac ſi noctua ſolem detectum à tenebris auderet aſpicere , impoſſibile dicitur ; imperfectam poſſumus quidem attingere cognitionem, ſicut, & ipſamet noctua ſolem inſpicere quoquo pacto à tenebris

velatum; quod & ſi difficile ſit, aſſequi tamen omnino poteſt; Humanus itaque intellectus licet ſecundum ſe abſtracta non cognoſcat, per hæc tamen ſenſibilia quaſi per tenebras in aliqualem cognitionem ducitur, nec deſperari debemus pro huiuſmodi aſſecutione quoniam cauſæ inueſtigandæ cum ſint finitæ, tandem ſapientia ex horum cognitione, dilucidabitur; modò vt perducamur ad notitiam ſubiecti diuinæ Philoſophiæ, ſcire congruum eſt, cum cæteræ inſpectricis Philoſophiæ partes varias entis differentias ſpeculentur, neceſſe eſſe, vt reperiretur aliqua ſcientia, quæ totum ens, vt ens explicaret, circa ipſum itaque, vt ſubiectum adequatum verſatur metaphyſica, ita tamen, vt excludamus ens per accidens, & illud quod eſt purum mentis opus, ſiuè nihil ei à parte rei reſpondeat, vt chimera, ſiuè aliquid, vt entia rationis: cumque dicimus ens, non exiſtentiam, ſed eſſentiam dicimus; huiuſmodi ſubiecto non auferimus vnitatem neceſſariam, ſed ſufficere eam, quæ eſt ſecundum quamdam analogiam, & proportionem, remota omni vniuocatione, nobis perſuadetur; quod Ariſtotel. ſæpè dicit, ens multipliciter dici, & tradit ſubſtantiæ, & accidenti nihil commune reperiri; & cum apertè afferat ens dici ab vno, & ad vnum vult ſignificare rationem vnitatis, & communitatis, non dependere ab eadem natura, reperta in multis, vt in vniuocis, ſed ex quadam habitudine multorum ad vnum; quare intellectus format habitudinem

dinem ſimilitudinis, & diſſimilitudinis illorum multorum inter ſe. Difficultas tamen ex dictis oritur, nam ſi ens, vt ens eſt id quod ſubijcitur diuinæ philoſophiæ, omnes etiam partes entis, quę in ente includuntur ſpeculari ſuum erit, & ſic vna tantum erit contemplatio, nempè methaphyſica; & augetur difficultas pro euerſione entis, quod non ſit ſubiectum ex dicto ſatis trito Ariſtotelis, niſi eſſent ſubſtantiæ abſtractæ phyſica eſſet prima Philoſophia: abſtracta, itaque deberent poni pro ſubiecto. At leuiter ſolui poſſunt, ſi nobis ante oculos offeratur ratio formalis, ſub qua Methaphyſicus conſiderat ſuum ſubiectum, quæ eſt ſub ratione entis, in iſta quidem, etſi omnia aliarum ſcientiarum ſubiecta claudantur, relinquitur tamen ratio peculiaris, & propria, qua tales ſunt, ſecundum quam conſiderantur ab aliis philoſophiæ ſpeciebus: nec mirandum, quod ad ablationem entium ſeparatorum cætera conſiderata in methaphyſica, & entis, vt ens contemplatio rueret, vndè phyſica relinqueretur prima, hoc namque eſt natura, & conditio analogi, quod ſublato primo, cætera auferri neceſſe eſt, cum omnia à primo dependeant, quod luce clariùs oſtenditur in ſanationis analogia, in qua dempto corpore, quod formaliter eſt ſanum, nec vrina, nec exercitium, nec medicamentum dicerentur ſana, cum in ordine ad Corpus ſic nominentur, ita in ſerie entium, vt entia ſunt, quæ eſt contemplatio penitùs abſtra-

cta ſi auferatur ſeparata mens, per quam cætera dicuntur abſtracta per eſſentiam, non remaneret quidem amplius huiuſmodi contemplatio entis, vt ens, & laberetur contemplatio in ens pro vt habet naturam, quo pacto phyſica eſſet prima phyloſophia: Suas etiam paſſiones præſefert ens, quas recenſet Philoſophus quarto met. quarum ſeries hæc eſt, ens, vnum, hoc aliquid, res, verum, bonum, & dicuntur tranſcendentia, quia non ſunt in vno certo, ac determinato prædicamento; ſed in omnibus vagantur licet non eodem modo, ſicuti enim ens non vnam naturam dicit vniuocam, nec tranſcendentia vniuocatione gaudent, conuertuntur enim cum ente. Cæterum cum in hac diuina ſapientia præcipua ſpeculatio ſit circa ſeparatas mentes; vt diximus exigua luce, quam nobis conceſſit natura, mentem noſtram illuſtrare optimum erit; titubat autem, & tetra caligine effunditur humana ratio, dum ſupra Corpora, & materiam eleuatur, & nil propria facultate poteſt diſtinctè cognoſcere, niſi ſaltem per conſpicua opera cadat ſub ſenſum, & phantaſmata in eius cognitionem dirigatur; verum, licet huiuſmodi ſuperas mentes per nonnulla attributa phyſicus, à quo per ſe dicuntur ſpeculari, oſtenderet, attamen abſolutè hoc eſt diuini Philoſophi munus, iſte enim ſolus eſſentiam intelligentiarum attingit, & ita accuratus ſe præbet in huiuſmodi conſideratione, vt ne dum de ipſis abſoluat quæſtionem, quod ſint, inſuper

ſuper declarat quid ſint, & quot ſint, non quod diſtinctè, & adequatè earum quidditatem attingat, hoc enim impoſſibile diximus eſſe compræhendere illas diuinas mentes, apprehendimus nihilominus illarum eſſentiam, contemplãdo quidem illas totas, at non totaliter, cum ſolus diuinus obtutus ſe ipſum totum, & totaliter compræhendat, abſque eo, quod aliqua diſtinctio appareat in intellectu intelligibili, & intellectione, id enim ſunt, & omninò vnum; ſed ad noſtram mentem, quæ in contemplando phantaſmate vtitur, redeundo, cum adequato phantaſmate pro quidditate diuina agnoſcenda, careat, & adequatam illius cognitionem illi deeſſe, neceſſe eſt: nec quod à metaphyſico explicetur per actum purum ob id dicendum eſt explicare perfectè, & diſtinctè ſeparatam mentem, quandoquidem per tale attributum non ſignificatur de Deo aliquod poſitiuum, & affirmatiuum, ſed potius negămus quamcumque compoſitionem, nam quæ ſit illa puritas, quis ſit ille actus, per aliquod affirmatiuum, adhuc ignorantiæ tenebras inuolutus remanet intellectus noſter; non ob id tamen alicuius roboris putamus Auerrois argumentum videlicet niſi eſſent a nobis intelligibiles ſubſtantiæ abſtractæ, natura illas feciſſet otioſe intelligibiles, non ſecus, ac ſi primum viſibile non videremus fruſtra eſſet viſibile; hoc quidem vanum eſt, nam etſi à nobis perfectè non intelligantur, ne ſint otioſæ, ſufficit, vt ab aliquo intellectu,

nempè diuino intelligantur perfectè, quemadmodum ſol etiam non ob id dicitur fruſtra viſibilis, quamuis à Veſpertilionis oculo non videatur, ſufficit vt ab alijs inſpiciatur, verum ſi cupimus ſublimius eleuari, & ſinceriorem veritatis lumen intueri ad aliam lucem oculos dirigamus, qua irradiati propius ad Deum attolli conceſſum erit: interim huiuſce methaphyſicæ radiationis exagonam ſyderum apparentiam aſpiciamus.

Sex Sydera.

1 Omnis Homo natura ſcire deſiderat, quod deſiderium præcipuè expletur per reginam ſcientiarum, quæ eſt methaphyſica, quæ ſimiliter eſt ſapientia, cum ſpeculetur altiſſimas, & vniuerſaliſſimas cauſas, & libera.

2 Huiuſmodi contemplationem aſſequi eſt valde difficile, & hoc ex parte noſtræ mentis, eſt enim imbecillis, & improportionatum obiectum habet contemplandum, ad quod ſe habet vt noctuæ oculus ad ſolem, attamen cum cauſæ ſint numero finitæ nõ eſt deſperandum.

3 Habet pro obiecto ens, vt ens, quod quidem dicitur vnum, non quidem vniuocè, ſed analogicè, & cũ analogia ab vno, & ad vnũ habeat habitudinẽ omnia entia ſic pendẽt ab abſtractis, etiam ad abſtracta referuntur.

Entis

4 Entis ſunt quidem paſſionis, omnes autem cõuertibiles cum eo, & ſunt, ens, vnum, hoc aliquid, res, verum, bonum, quæ dicuntur tranſcendentia, cum non ſint in aliquo determinato genere.

5 Metaphyſici intereſt ſpeculari mentes abſtractas, & quantum ad an eſt, & quantum ad quid eſt, licet ipſarum quidditatem perfectè, & adequatè explicare nequeat.

6 Et licet aſſeueret Deum eſſe actum purum, attamen per huiuſmodi attributum, quid non ſit explicat, quàm quod ſit affirmatiuè enunciet, haud tamen dicendæ ſunt illæ ſupernæ mentes ocioſè intelligibiles, vt volebat Auerroes, aliud itaque lumen inquiratur.

RADIATIO SEXTA.

In qua ſupero lumine adiuti ſacra doctrina reuelatur, vt expurgetur mens ab ignorantia eorum quæ ad ſui fœlicitatem ſunt apprimè neceſſaria.

HVMANAE mentis caligines exagona radiatione expurgare ſuſcepta prouincia, cum eò vſque deuenerit, vt ob inſiti luminis pręſentiam, illis habitibus videatur prædita, per quos ignorantiæ tenebris effugatis, ne dum circa ea, quæ de Mundo, & in Mundo incluſis quæri poſſunt, & contemplari licet, ſed in ſublimem etiam rationem eleuata, quod Deus ſit eſſentia originaliter, ſeorſum ab omni imperfectione, eminentiſſimè includens omnes perfectiones, quæ in aliis remiſſæ refulgent, per congruentes gradus in diuina eue-

cta, expurgata, & omnia facta, in ſe conuerſa, particeps etiam reddi tentat conditionum Dei, ſe fœliciſſimè cum eo necti exoptans; eiuſdem poſtulat inſtitutum oſtendere, quantum ab inſtituto ſit aliena humana mens, ſi phyſicarum tantum diſciplinarum ope, hoc pertentare audeat, quod quidem ex hoc faciliter deduci poſſe credendum eſt, quod quamplurima, quo ad Dei Optimi Max. cognitionem Homini ſunt neceſſaria, ſi propriam voluerit attingere metaphyſica, ſe fœliciter iungendo ſuo, vnde fluxit principio, illumque ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum, quem ſummam beatitudinem appellat Boetius, perenniter aſſequi; ad quem tamen ei denegatur acceſſus, ſi exigua luce naturali in diuinas perfectiones ob tutum dirigere auſus fuerit; immò, & ea, quę vix labiorum extremitatibus ſenſuum ope attingit de Deo in ſuis ſpeculationibus quoniam plurimorũ errorum permixtione, multoque cum ſudore, ac temporis interuallo aſſequutus eſt; quo circa aliud lumen, vt illius mentis ſplendeſceret, neceſſarium fuit; & præter phyſicas diſciplinas debebat inſtitui ſacra doctrina diuinitùs reuelata, ſi velit ab ignorantia circa ſibi neceſſaria ad ſalutem expurgari, tutoq; abſque errore, nec non cum facilitate ad diuina progredi contemplando; qua reuelatione in terris cœlitus defluxa, in ſupremæ mentis honorem, & cultum non mediocrem redundat, dum mens captiuatur humana in fidei obſequiũ, vt ſoli au-

ctoritati

ctoritati credentis innixa, credat, omni ratione deſpecta; hominis itidem maxima communicatio cum Deo ab huiuſmodi reuelatione emanat, vnde ad magnæ nobilitatis faſtigium eleuatus, certiorem ſe reddit de his, a quorum ignorantia maximè torquebatur, dum de immortalitate noſtræ mentis, de illius fine, nec non mediis illum aſſequendi, deq; aliis quamplurimis propoſitionibus, quarum veritatem per acquiſitam philoſophiam comparare non valebat, dubius incedebat; quod ſi aliquid veri per illam olfaciebat, è minus cum varietate opinionum, exiguaque certitudine hoc præſtabat; & quidem non omnibus concedebatur, vel quia erat vita breuis, ars longa, experiētia verò fallax, vt ab Hyppocrate Medicorum præſtantiſſimo tradebatur, vel quia alij ab ingenii hæbetudine, ab ægretudinibus alij, quamplurimi à paupertate, vel deſidia, & ob alias occupationes, ſexcentaque inuolucra corporalia præpediti, ſcientijs, ac diſciplinis humanis operam dare, negligebant, quo circa conueniens fuit dari aliquam cognitionem à Deo Patre munificentiſſimè diſpenſatam, per quam omnia nobis neceſſaria cognoſceremus: Qualitatem verò huiuſcè nobiliſſimæ doctrinæ, ſi nobis liceat perpendere, ſatis perſuadetur debere veræ ſcientiæ nec non ſapientiſſimè ſapientiæ nomine honeſtari, quamuis careat euidentia; quam quidem de intrinſeca ratione ſcientificę cognitionis vniuerſæ ſumptæ eſſe, libenter negemus, ad huma-

nam

nam enim ſcientiam acquiſitam ſpectare in ſpecie aſſerēdum eſt, quod dictum nobis explicatum apparebit, ſi perpendamus, ſcientiam nil aliud pręſe ferre, quam certiſſimam quandam effectus per cauſam cognitionem, admiratio namque peperit philoſophiam, tradit Ariſtotel. primo met. quod ęnigmaticè antiqui perſuadebant per Irem filiam Thaumantis; at vnde admiratio conſurgit, niſi quia viſo effectu, ignoratur cauſa, quam equidem ſcire quiſque naturaliter cupit; duo itaque apparent neceſſaria, & eſſentialia pro ſcientifica cognitione conſtituenda, cognitio vt ſit per cauſam, & ſit certa; ſi autem quid aliud deſideretur, propter hęc duo deſiderari, dicēdum eſt, hinc quod ſit rei vniuerſalis, rei neceſſariæ, & ſi quid eſt aliud, ideò requiri dicuntur, quia ſingularia, & contingentia, vt plurimum ex ſe nō ſunt apta habere certitudinem; nihilominus ſi reperiatur ſingulare quoddam, & ſit neceſſarium; vti eſt Deus, de eo certiſſima ſcientia habebitur; ita in propoſito, euidentia ad ſcientiam veram requiri ponatur, propter certitudinem, certò requiri contingit, eo quia humanum modum ſi ſpectemus, certitudo abeſt, vbi euidentia non adeſt, hinc Ariſtot. dum nobis deffiniuit ſcientiam, euidentia vſus eſt, quia eam ſcientiam diffiniebat, quam acquirere ſenſuum ope, poſſibile erat, & ſunt ſcientiæ humanæ, in quibus euidentiam eſſe ianuam animaduertebat ad certitudinem; nec enim cognouit fidem, & aliquem habitum diui-

nitus

nitus infuſum; quod ſi cert itudo alia via abſque euidentia ſit poſſibilis reperiri, illa vtique ſufficeret ad conſtruendam veram ſcientificam cognitionē. Ex his colligimus, cum in ſacra Theologia Deus per lumen fidei ſuppleat euidentiæ efficaciam pro certitudine, immò fides longè certior iudicetur ſcientijs humanitus acquiſitis; Theologiam diſcurrentem ad ſuas concluſiones eliciendas ex articulis fidei, veram, & proprijſſimam nobis parere ſcientiam abſque vlla euidentia; at dubitare licet de articulis fidei, an aliquam euidentiam includere fatendum ſit, & quidem de facto nullam includere liberè dicendum eſt, præcipuè quia euidētia hoc fungitur munere, neceſſitatem videlicet præbere intellectui, vt aſſentiat, fides autem pro aſſenſu nullam cauſat neceſſitatem in mente noſtra, ſed ratio eſt, quæ intellectui imperat reuelatis acquieſcere, iuxta illud Apoſtoli captiuantes intellectum in obſequium fidei, & ad Hebreos 2. fides eſt argumentum non apparentium, id eſt non euidentium; nec admittere putamus illud Henrici lumen, ex quo euidentiam in fidem prodire, fatebatur, quid fictitium namque potius, quam rationis conſonum putamus; attamen pro abſurdo non habemus, largitate diuina, diuinoque beneplacito poſſe dari euidentiā in articulis fidei ad hoc vt intellectus euidenter aſſentiat, poſſumus enim cognoſcere, Deum dixiſſe hunc articulum, non intuitiuè ſicut Beati, nec per ſpeciem, cum nulla ſpecies de Deo poſſit dari

adequa-

adequata, ſed per diſcurſum ex aliquo priori; quod quidem non ſit cauſa illius articuli, ſed ſit cauſa nobis aſſentiendi illi principio, quod Deus dixit; ſi quidem naturaliter cognoſcitur, Deum non poſſe mentiri; quare, & ſi euidentia, tunc ortum non ducat ex demonſtratione propter quid, ſaltem poteſt naſci à demonſtratione quia, & à poſteriori; quo pacto Dęmones conuincuntur ad credendum articulis fidei, vt docet Sanctus Thomas 2.2. quæſt.5. art.2. Propriè igitur ſcientia, immò & Sapientia debet vocari noſtra Theologia; & ſi euidentia careat, non immeritoq. ſubalternari Theologiæ Beatorum, à qua habet euidentiam, & licet multiplices appareant Theologici diſcurſus, omnes tamen eandem vnitatem induunt, quatenus vnam, & eamdem reuelationem aſpiciunt, à qua deducuntur; quæ tam præſtans, & ſublimis eſt, vt etiã ſimul vniat has duas differentias ſpeculabile, & operabile in vnam rationem; quare & hæc ſacra doctrina, non quidem eminenter, ſed formaliter erit, & practica, & ſpeculatiua, detinetur namque circa eminentiſſimum ſubiectum, quod eſt Deus, ſub ratione deitatis, in cuius ſpeculatione verſans intellectus, debet contemplari tum illius naturam, & operationes, tum agere pro illius cõſecutione; eſt enim Deus, quo ad ſuam naturã, & operationes quoddam ſpeculabile; & cum ſit finis noſtræ beatitudinis, & aſſequibile, dicitur quoddam operabile per conuenientia media, quæ omnia nobis præ-

ſtans hæc nobiliſſima doctrina, hinc & ſpeculatiuę, & practicæ rationes ſimul vnit, & nectit. Pro iſtius igitur aſſecutione omninò diligenti cura, totiſque viribus eſt inſudandum, ſi cunctas tenebras, & caligines ope ſplendidiſſimæ lucis velimus à mente noſtra effugare, nec non à cecitate ad lumen redire, vt tandem ipſo perenniter frui valeamus, tunc enim facie ad faciem ſplendidiſſimo lumine gloriæ illuſtrati intueri, datum erit, vt ſatietur, & expleatur mentis noſtræ totus appetitus iuxta id, quod a Pſalmographo traditum fuit, ſatiabor cum apparuerit gloria tua, quod nobis præſtet Deus ſua pijſſima miſericordia cui honor, & laus in ſecula ſeculorum.

Sydera Sex.

1 Præter phyſicas diſciplinas ſacra doctrina reuelata aſſeritur neceſſaria, tum reſpectu eorum, quæ neceſſariò, cum ſint cognoſcenda de Deo, attamen naturæ lumine non valemus attingere; tum etiam reſpectu eorum, quæ eodem lumine de Deo cognoſcuntur, nè cum errore cognoſcantur.

2 Iſta autem verè, & propriè debet honeſtari nomine ſcientiæ, quamuis illi euidentia deſit, quam in ſcientia vniuersè ſumpta non ponimus neceſſariam.

3 Euidentia verò noſtræ doctrinæ reſpectu ſuorum principiorum, quæ ſunt articuli fidei

dei cum à Theologia Beatorum recipiat, illi ſubalternari libenter concedimus.

4 An verò articuli fidei in via aliquam includant euidentiam, de facto negamus, quicquid ſit de lumine ab Henrico inuento, licet de poſſibili ex diuino beneplacito poſſit concedi talis euidentia, ſaltem à poſteriori.

5 Multa quidem diſcurrit hæc ſacra doctrina, attamen cuncta vniuntur in vnica ratione reuelationis per quam dicitur vnica ſcientia.

6 Adequatum illius ſubiectum Deum, vt Deū aſſerimus, ſubiectum adeò ſublime, quod cum in ſui ratione includat eſſe quid contemplabile, & eſſe quid conſequibile per cōgruentia media, hinc producit habitū Theologiæ, qui ſimul formaliter eſt, & ſpeculatiuus, & practicus, tali autem ſubiecto honor, & gloria.

FINIS.

Diſputabuntur publicè Fani Tempore noſtræ Dietæ in Eccleſia D. Paterniani Menſe Maii. Die Hora

Obiectis ſatisfaciet D. qui ſupra.

Aſſiſtente Admod. R. P. D. D. Lauro Billiocto Fanenſe Sacræ Theologiæ Doctore, & Lectore meo amantiſſimo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE